





2137.

825
1658
29
5037
9
10

Q. D. B. V.
COLLEGI FEUDALIS
EXERCITATIONEM,

De
ACQUISITIONE FEUDI
Per
INVESTITURAM

Cum
Annexâ Quæstionum Ipubl Trigâ
Autoritate Magnifici Jctorum in illustri hac
Leucoreâ Ordinis,

PRÆSIDE VIRO

Nobili, Amplissimo, Excellentissimoq̃
DN. GOTTFRIDO SUEVO, JCTO
& Antecessore Famigeratissimo, Curia Electoralis Sca-
binatus, Facultatis Juridicæ, Consistorii Ecclesiastici, ut & Judiciâ
Provinc. Inferioris Lusatia Assessore gravissimo,
meritissimo,

Dn. Praeceptore, ac hospite suo, perpetim
colendo

publica placidaq̃, discussioni subicit

HENRICUS CENTURIUS, AB ENDE

EQUES MISNICUS.

In Auditorio Jctorum.

Ad D. 20. Ianhor. 3. pomerid.

WITTEBERGÆ,

Literis **JOHANNIS HAKEN. 1658.**



V I R O

*PER QUAM GENEROSO, MAXIMEq̄
STRENUO ac SUMMO.*

DN. HAUBOLDO à MILTITZ,
Schenckenbergæ, Oberaviæ, & Scharffenbergæ
Hæreditario, SERENISSIMI SAXONIÆ ELECTORIS CON-
SILIARIO, SERENISSIMÆ ELECTORALIS VIDUÆ MAGI-
STRO DOMUS, & supremi Consistorii Ecclesiastici Præ-
sidi eminentissimo, Favitori suo in debitæ
gratitudinis symbolum.

UT ET

V I R O

PER QUAM GENEROSO ac STRENUO

DN. GEORGIO ab ENDE,
Hæreditario in Münkig/ etc. SERENISSIMI ELE-
CTORIS SAXONIÆ, Joh. Georgii I. gloriosissimæ me-
morix, quondam CAPITANEO, Parenti suo devote co-
lendo, per amando, in observantiæ signum
sacrum esto.

IPsa quidem Nobilitas, Miltitzi, est ornamen-
tum sua natura. Is tamen omne fert punctū,
qui claritati generis adjunxit asseclas, vel mili-
tares vel togatas virtutes. Et quid juvat totos se-
dere dies in villa? conterere vitam in quærendo?
quan-

826
quanquam nec hæc sine sale carbone notanda.
Magni fuit quacunq; ætate Principibus placuisse. Quam ob causam & teneris ab unguiculis hanc mihi constitui metam, eoq; direxi arcum, ut cum Timotheo Cononis filio, adeptam à Majoribus equestrem dignitatem virtutibus augerem. Sed quibusnam? & hærebat in hac mihi causa aqua. Nam qui plurimum studii in armis consumlerant; qui, irruente Hannibale, Scipiones sese præbuerant; qui Catilinas nec non Antonios oppresferant, & magnis in laudibus erant, & amplissimis afficiebantur præmiis. Contra ea plurimū tribuebat splendoris veneranda scientia addictis. Consilii eram exinde, ut dixi, in trivio, & varias ob svadentium opiniones, tanto magis. Suum enim cuique velle nec voto vivitur uno. Tandem, rebus adhuc integris, te monitore & consiliario sum usus. Castra ne sequerer, multum dum ibidem incommodi, & ignotis saltem dulce bellum, suadebas; cum Musis vero ut haberem commercium, me, ut ita loquar, instigabas. Dicto tuo audiens fui, & jacta alea, res ex sententia cesit. Hinc semper
ha-

haecenus cogitavi quã ratione summis tuis erga
me meritis quodammodo respondere possem,
& commoda sese obtulit occasio. Tractabat e-
nim Dn. Suevus P.P. in hac ad Albim Academia
& pacem religiosam, & *authen. habita. C. ne filius
pro patre*, & jura feudalia, hisq; adjungebat jura
publica. Arridebat mihi ultimum, insignem ob
utilitatem. Unde & hæ pagellæ, quas prædi-
ctis ex causis Generoso tuo nomini in gratitudi-
nis testimonium consecro nec non dedico. Re-
ctene & ordine an facerem animi quidem ab i-
nitio incertus fui? vicit tamen tua summa huma-
nitas, meq; in hanc flexit partem. Ne itaq; mi-
hi vitio vertas. Et jam verba ad te faciam pa-
rens amantissime. Innumerabilibus nomini-
bus tibi sum adstrictus. Cur loquar nominib;?
totus tuus sum, hinc quoq; tota tua hæc erit di-
sputatio.

Deus vos servet

Henricus Centurius ab Ende
Nobilis Misnicus.



GRATIOSO SPIRITU DIRIGENTE!
EXERCITATIONUM FEUDALIUM
SEPTIMA.

*In Audi-
torio JCoō
rum. ad d.
Martij.*

De
ACQUISITIONE
FEUDI
PER
INVESTITURAM.

PRÆSIDE
GOTTFRIDO SUEVO, D. & P. P.

Respondente
HENRICO CENTURIO ab Ende / Equite Misnico.

ASSERTIO. I.

S Alvanda primùm omnium Inscriptio disputationis est: cum
dubium eam reddat Feudista in *c. un. 1. F. 25.* ubi feudum sine
Investiturâ nullo modo constitui posse, ait: adeoq; Investi-
turam non acquirendi, sed constituendi modum habet. Ve-
rùm non adeò accuratus & distinctus horum vocabulorum usus
est apud Feudistas, quin promiscuè utuntur verbo constituendi &
acquirendi: & modo constitui feudum per investituram dicunt,
d. c. un. 1. F. 25. modò per eandem acquiri *c. un. vers. sciendum in fin. 2.*
F. 1. c. un. pr. 2. F. 33. Confer. *Job. Zabel. Exerc. feud. 4. 0. 5. lit. a.* Sicut
& jure Civili Servitus urbanorum prædiorum per traditionem
constitui dicitur in *l. 12. §. 1 ff. de Public. in rem act.* cum tamen pa-
ctionibus & stipulationibus constituatur. *§. fin. Inst. de Servit. Præd.*
§. 1. Inst. de usufr. traditione verò acquiratur. *l. 20. C. de pact.* Suffi-
ciat pluribus locis Investituram ad acquisitionem referri: quod
& rationi Juris optimè convenit: per conventionem enim & suc-
cessio-

*Investitu-
ra est mo-
dus acqui-
rendi feu-
dum, non
constitu-
endi.*

Q



nem, constitutum quidem rectè dixeris feudum, non autem acquisitum, nisi investitura accesserit. quâ post constitutionem feudi adhuc opus est, post Investituram verò nihil superest; sed ubi de Re per beneficium investitus est Vasallus, hanc habet potestatem, ut tanquam Dominus possit à quolibet possidente, sibi quasi vindicare, ait Feudista in *c. un. 2. F. 8. §. Rei*; adeoque per investituram demum plenè acquisitum erit dominium, quale in Vasallum cadere potest. Neque distinguimus, quod *Bocerus* tentat, de *Invest. feud. c. 2. n. 78. & seq.* inter Investiturâ propriam, quæ fit per actua- lem traditionem, & inductionem in possessionem rei feudalis; & abusivam, quæ fit hastâ vel alio corporeo signo, porrecto à Domino feudi, se investituram facere dicente. *c. un. 2. F. 2. pr.* quasi per illam quidem feudum acquiratur, per hanc autem tanquam nudam conventionem, dominium acquiri non possit. *d. l. 20. C. de pact.* Nam generaliter per investituram feudum acquiri dicit feudista *d. c. un. 2. F. 1. d. c. un. pr. 2. F. 33.* non itaque abusivam investituram, tanquam speciem excludemus. Neque etiam hæc investitura, nuda pactio aut conventio, sed traditione vestita quasi est non quidem ipsius rei, sed symboli alicujus, quod rei vicem sustinet; quæ ficta & representativa traditio, non minus ac propria dominium transfert, ita clavibus traditis, proprietas & possessio mercium in horreis conditarum tradita videtur. *§. 44. Inst. de Rerum divis. l. clavibus 74. ff. de contrah. empt.* Cæterum investitura præcipuus & frequentissimus feudi acquirendi modus est, ad quam & præscriptio, de quâ *c. un. 2. F. 26. §. si quis per 30. annos c. un. 2. F. 87.* tanquam Investitura quædam tacita, sive præsumta à plerisque refertur; cum tamen tanquam per se modus acquirendi peculiaris, *§. ult. Inst. de usu & hab. cum rubr. tit. seq. l. 20. C. de pact.* & ab Investiturâ distinctus *d. c. un. 2. F. 26.* suis Regulis contineatur. Quod autem in *c. un. 2. F. 1. in fin. c. un. 2. F. 33. pr.* etiam successione feudum acquiri dicitur, improprie à Feudista dictum accipiendum est, cum per investituram demum acquiratur cum effectu. *c. un. 1. F. 25.* quod per successionem constitutum erat. *Conf.*

De Appel-
latione;

Arum. disput. Feud. 5. 9. 3. Finckelth. disput. feud. 7. th. 1.

II: Investituram, nihil admodum interest, an à Latino vocabulo

bulo deducas, à veste, investire, quasi Vasallus feudo per traditionem vestiatur & ornetur; quo sensu mantare, sive mantum aut pallium dare in historiis Longobardorum pro investire usurpari; à vestimenti quodam genere in collatione feudi plerumq; adhibito tradit *Lindem. Exerc. feud. 2. c. 4. n. 8.* & disvestire, vel devestire, veste illà privari dicitur in *c. un. 1. F. 7. Vult. 1. de Feud. c. 7. n. 4.* An à Germanico *festen/qs. infesten/* investire & firmare in possessione feudi, à qua origine, titulos illos *Best/ Ehrenvest/* (quos olim sanctos, nunc populares factos dicit *Gothofr. Anton. disput. feud. 4. §. 1. lit. C.*) quasi firmatos & retinentes honoris, non improbabiler quidam deducunt. *Finckelthuf, disp. feud. 7. th. 2. lit. a.* De re ipsa satis constat, receptissimam in Jure feudali, eique maximè propriam esse hanc Nomenclaturam Investituræ, quâ aliàs quidem & literæ, sive instrumentum Investituræ *c. un. 2. F. 58. vers. Idcirco.* & ipsa feudi possessio venit. *c. un. 2. F. 2.* hic autem solus actus investendi, quæ frequentissima acceptio est, *c. un. 2. F. 1. in fin. c. un. 2. F. 2. 2. F. 33. 1. F. 25.* & passim, intelligitur, *Belehnung/* & ad signandum hunc ipsum actum commodissimè vocatur Investitio in *c. un. 1. F. 26. §. 28.* Est itaque hæc Investitura nihil aliud, quàm solennis feudi cessio, uti brevissimè definiunt Cujacius, *Vult. Zabel. & c.* vel, uti ad descriptionem addunt alii, à Domino coram certis personis vasallo sub præstatione fidei facta ad effectum transferendi in eum utilis dominij: *Vid. Obrecht. Tr. feud. lib. 2. c. 8. n. 5. Lindem. d. c. 4. n. 9. Arum. disput. feud. 5. th. 5.* Per contractum & quidem nominatum, bonæ fidei, definiunt investituram *Niell. & Gothofr. Anton. uterque disput. feud. 4. th. 2.* Cessionemque illam, contractum dicit, *Vult. d. loc. n. 7. §. 11.* Moventur præcipuè, quod Investitura, negotium ejusmodi, sive *συμβάλλαγμα*, quale contractum constituit. *l. 7. §. 2. ff. de pact.* in se contineat, intercedente, nimirum à parte Domini concessione feudi, à parte Vasalli, fidelitatis promissione: Unde ex investitura conditionem causâ datâ proponi volunt, ad repetendum feudum, *c. un. 1. F. 21.* & facta investitura, compelli Dominum actione, ad tradendum feudum, ita ut præstando Interesse non liberetur, *c. un. §. si facta 2. F. 26* quæ actiones utique Investituram, ut contractum præsupponere videntur.

828
acceptione
& defini-
tione In-
vestitura.

dentur. Verū nec Investitura ipsa ullibi contractus appellatur, neque id nominis tueri potest; quia per Investituram dominiū utile, quod vocabulum docendi causā, & traditionis familiaris gratiā, ut loquitur *Coras. lib. 6. miscell. c. 20. n. 2.* retinemus, in Vasallum, transfertur, quod pactis & conventionibus non fit. *l. 20. C. de pact.* Præcedit Investituram contractus, puta venditionis, permutacionis &c. qui tamen alius est ab Investitura, & ab ea tanquam traditione, cessione solenni & modo acquirendi omninò discernendus: nisi traditionem cum contractu Emptionis venditionis, & complementum extra substantiam contractus cum ipso contractu confundere velis. Cæterum negotium sive *συνάλλαγμα* illud cessionis & fidei, ut & actiones illæ personales non ex investiturā propriè oriuntur, quæ sola traditione constat, sed ex contractu feudali præcedente, per quem fit præparatio acquisitionis, sicut per traditionem ipsa acquisitio. *Vid. Duar. de feud. c. 7. n. 8. Zabel. d. disput. feud. 4. th. 5. in fin.* Nec obstat, feudum sive beneficium cæteris contractibus annumerari in *c. un. 2. F. 87.* Nam, præterquam, quod textus ille inter extraordinaria capitula, quorum vilis vel nulla autoritas est, repugnante cum primis textu ordinario, vel ratione Juris: Responderi potest feudum dici contractum, per Metonymiam effectus pro causā: quatenus feudum constituitur per contractum *vid. Finckelth. disp. feud. 7. thes. 5.*

*De specie-
bus Inve-
stiturarū.*

III. Distributionem Investituræ, in propriam & abusivam, cujus jam supra mentio facta est in Assert. i. rigidè examinat & impugnat. *Vult. 1. de feud. c. 7. n. 11.* quem sequitur *Niell. disput. feud. 4. th. 3. lit. f.* adducto in contrarium exemplo Emptionis venditionis, quam propriam nemo dixerit, ubi præsens traditio, ut fit interdū, accedit, nec abusivam, ubi possessio simul tradita non fuit, multò minus diversas species Emptionis inde constituet: Idemq; ad Investituram applicat *Vult. d. loc.* & feces has esse ait, quas in Jurisprudenciam sinceriores invexerint descriptores consuetudinum feudalium, quos postea secuti sint Interpretes, qui feces istas reddiderint turbulentiores, in quibus plerumque desideret non Ingenium, sed Judicium logicum. Verū cum & rem ipsam habeamus in Jure feudali, duplicis nimirum Investituræ, quarum alte-

ra reali traditione & in possessione inductione, altera, hasta, vel alio corporeo signo, traditionis representativo fiat, ipsas quoque appellationes expressas habeamus, illam quidem Investituram propriam dici, hanc vero abusivam. *c. un. 2. F. 2.* (alio nomine illam investituram, naturalem, hanc, civilem vocat. *Eguin. Baro in c. un. 2. F. 4.*) utique & rem & appellationem, quæ moribus & tempore, sedem suam inter feudalia fixam habet, ut loquitur *Gothofr. Anton. disp. feud. 4. §. 3. lit. b.* & omnium Juris feudalis Interpretum catholica est. *Arum. disput. feud. 5. th. 6.* pro lege retinemus non attenditis, quæ ex Logicorum præceptis opponit. *Vult. Diluit eadem Arum. d. l. Lindem. d. c. 4. th. 21.* Imò sicut in jure civili traditio alia vera est, de quâ in *l. 20. C. de pact.* alia ficta vel abusiva, sive quasi traditio, quæ facta videtur. si Dominus saxum eximere de suo donationis causâ permiserit. De qua in *l. qui saxum 6. ff. de donat.* Ita investituram aliam veram, aliam abusivam dicere, quid prohibet! cum utraque traditionem possessionis inferat, modo saltem traditionis externo differente. *vid. Hunn. Tractat. feud. cap. XI. pag. 306. Finckelthuf. disp. feud. 7. thes. 2. lit. b.* Alteram divisionem, vel potius utriusque Investituræ, propriæ & abusivæ subdivisionem, qua alia Investitura nova dicitur, per quam feudum cedente Domino, primùm acquiritur; alia vetus, per quam feudum jam constitutum in persona suecessoris confirmatur, quæ & renovatio Investituræ vocatur; nemo in dubium vocare potest. *Vid. c. un. 2. F. 3. in pr. c. un. 2. F. 32. & in Extmord. c. un. 2. F. 91. de Investitura Veteris & Novi beneficii. Vult. d. c. 7. n. 7. & Feudista comm.* Est & à qualitate Investituræ, alia pura, alia in diem, alia sub conditione, interque has maxime nobiles & frequentissimæ illæ investituræ; Expectativa, quæ vulgò itidē abusiva dicitur; & simultanea, de quibus infra. Illa fit in casum mortis Vasalli, quo feudum ad Dominum reversurum est. *c. un. §. moribus. F. 2. 26. Bedinge/Expectantz, oder Lehnsanwartung/ Gnaden Lehen/* Hæc pluribus simul in feudo Jus tribuit, & ad differentiam investituræ singularis, dicitur simultanea; alio tamen modo & effectu consideratur de Jure Civili; alio de Jure Sax. ex quo *die gesambte Hand oder Mitbelehnung/* appellatur. de quibus differentiis

tiis Vid. *Hartm. Pist. lib. 2. quest. 20. Ingolstadt. Jcti in Consil. 46. Cotm. Vol. 1. Resp 26.* Id obiter hic addimus, Expectativam illam vel generalem esse, de feudo quodam è pluribus primùm vacaturo, quod erraticum vocant ein *Irrelehen* / veluti si dicat Dominus, Investio te, de feudo primùm vacante & mihi aperto *Wir leihen dir das Lehngut / so zum ersten verlediget und uns heimfelle / es sey groß oder klein.* Vid. text. & gloss. *Lehn / c. 5. n. 57.* vel specialem quæ fit in casum hujus vel illius feudi aperti Licita est utraque Expectativa. *d. c. un. 2. F. 26. §. moribus. c. un. 1. F. 3. 1. F. 9. & 27. & c. un. 2. F. 35. vers. ubi vero,* Statuit n. hic Dominus feudi, non de rebus alienis, aut quæ possidentis propriæ sunt, quâ ratione aliàs Jure civili, talia pacta, quasi votum captandæ mortis inducentia improbantur, sed de suis rebus quondã scil. ad se reversuris. Spem vero futura actionis vel rei, sibi competituræ transferri posse non immeritò placuit. *l. 3. C. de donat. viâ Hunn. Tract. feud. cap. XI. pag. 294. Finckelth. d. disp. feud. 7. thes. 10.* Nec Vasalli consensu opus est in istâ expectativarum concessione: cum Vasallo viventi nullum detrimentum, per eam inferatur quâ ratione utitur Feudista *in d. c. un. 1. F. 27. in fin. add. d. c. un. 2. F. 26. §. moribus 2. F. 35.* Effectus investituræ vel expectativæ de Feudo ad Dominum reversuro est, tum à parte Domini, tum à parte ejus, qui sub tali conditione investitus est. A parte Domini, ita ut non ipse tantum stare conventioni, sed & hæredes ipsius ratam investituram habere teneantur: mortuo ante feudum apertum Domino, (quod tamen de herede vel Successore laico, non de clerico, qui non defunctæ personæ, sed Juris Ecclesiastici Successor est intelligimus. *c. un. 1. F. 3. & 9. c. un. 2. F. 25. & 26. §. moribus & c. 35. Vid. Hartm. Pist. p. 2. quest. 28. n. 15. & seqq. Finckelth. disp. feud. 7. th. 12.*) A parte investiti; qui eveniente conditione, & Vasallo, sine liberis mortuo, & sic feudo Domino aperto; non saltem ipse feudum petit, sed ad heredes quoque, si vivo vasallo possessore mortuus fuerit; Jus idem devolvit *d. c. un. F. 1. 9.* ad exemplum contractuum aliorum, sub conditione celebratorum, qui ad heredes transmittuntur *§. 4. Inst. de V. o. l. si quis 57 ff. eod.*

IV. Per

IV. Per Investituram propriam dominium utile & possessionem in Vasallum transferri, omnes facile concedunt; ceditur enim feudum solenniter, eoque investitura inde vera & propria dicitur, quia fit per traditionem sive inductionem in possessionem. Ideo & Feudista investituram illam, possessionem vocat *in c. un. 2. F. 2. in pr.* quod quomodo intelligendum sit, Vid. ap. *Duar. de feud. c. 7. n. 8.* In Investiturâ abusivâ dominium æque ac in propria transferri communis opinio Doctorum est. Ideo definitionem illam, de quâ supra in Assert. 2. utrique Investituræ accommodant: Et rectè, cum ficta traditio, quæ in Investiturâ abusivâ intercedit, tantum operetur, quoad translationem dominij, quantum vera § 44. *Inst. de Rer. divis.* Et in traditione ficta, adeoque etiam in Investitura abusiva eadem requisita transferendi dominij occurrât. §. 40. *Inst. eod.* Unde generaliter per Investituram feudum acquiri dicitur *in c. un. 2. F. 33. pr.* ubi & comparatur successioni: Ergo non sola obligatio quæritur per Investituram. adde *c. 88. 2. F.* Generaliter quoque investitus de re aliqua per beneficium tanquam Dominus quasi vindicare à possidente dicitur *in c. un. 2. F. 8. §.* Rei autem, quod utique dominium aliquod præsupponit, Negat quidem Arum. per abusivam investituram dominium utile in Vasallum transferri. *disput. 5. feud. 0. 9.* cujus tamen Argumentis facile satisfieri potest, Nec enim sequitur, post Symbolum realis traditio requiritur *c. un. 2. F. 2.* Ergo per Symbolum non transfertur dominium: quod & aliàs sine possessione acquiri non potest. Respond. Investitura propria sive traditio requiritur non ad dominium acquirendum, sed ad possessionem, in vasallum transferendam. *c. un. 2. F. 7. §. 1.* Posterius illud, nullum dominium sine possessione acquiri, falsum esse probat *c. un. 2. F. 8. §. Rei autem ubi vasallus simul ac investitus est, à quolibet possidente, tanquam Dominus vindicare potest. add. c. un. 2. F. 88. Hillig. ad Donell. 4. comm. 19 lit. d. Finckelth. disp. feud. 7. th. 3. lit. a. Duar. de Feud. c. 7. n. 6. & Niell. disput. feud. 4. th. 3. lit. g.* Possessionem ex investiturâ abusivâ non transferri communiter notant Feudistæ *exc. un. 2. F. 2.* (quamvis contrarium tentari possit, si hastæ alteriusq; signi porrectio in re feudali præsentis fiat. *arg. l. clavibus 74. ff. de contrab. empt.*

De Effectu
Investituræ
proprie
& abusive.

820

empt. l. 1. §. si jufferim. 21. l. 18 §. 2. ff. de acquir. poss. add. Niell. d. 0. 3. lit. f)
 Id tamen, quantum ad possessionem operatur hæc investitura, ut
 & Dominus abusivè investitum in vacuum possessionem mittere
 cogatur. *c. un. 1. F. 7. in fin. c. un. §. si facta 2 F. 26.* & ipse investi-
 tus vacuum possessionem, si nemo resistat, propria autoritate
 ingredi possit, tanquam ex tacita voluntate Domini investientis,
Finckelth. d. disp. 7. th. 6. FF. comm. quos allegat *Schultz in Synops.*
Jur. feud. c. 9. n. 11. aliud dicendum est, in casu repugnantis vel re-
 nitentis possessoris; sicuti de debitore reclamante intelligimus
legem. 3. C. de pignor. Quod si post priorem investituram abusivè
 factam alter eodem modo investitus à Domino, & simul actualem
 possessionem nactus fuerit, hunc præferendum esse, (secus ac in
 beneficiis Spirituálibus obtinet *c. 12. §. pen. de Rescr. in. 6.*) commu-
 niter placuit, licet Dominus tradendo possessionem addiderit
 clausulam, Salvo Jure aliorum. *Rosenthal. de feud. c. 6. concl. 9.* Pro-
 batur assertio *arg. l. quoties. 5. C. de R. V.* neque enim duplex vincu-
 lum, Investituræ & accidentis traditionis ab unico Investituræ vin-
 culo superari, nec dominium per traditionem plenè acquisitum,
 interverti debet ei, cui nihil imputari potest, dum bona fide tradi-
 tum sibi feudum accepit; neque etiam Dominus ad feudum præ-
 cisè tradendum prius investito compellitur, ut est *in d. c. un. §. si fa-*
cta. 2. f. 26. aut omninò cum in possessionem mittere cogitur, ut est
in c. un. 2. F. 7. in fin. si facultatem tradendi non habeat ulterius, ut
 fit in hoc casu, facta jam alteri traditione, sed aut feudum æquiva-
 lens, aut quod interest præstare tenetur; qua ratione prius inve-
 stito Jus suum non aufertur, salva ipsi adversus Dominum actione
Vid. Hartm. Pif. lib. 2. q. 29. n. 11. §. seqq. Fachin. lib. 7. controv. c.
33. Rosenth. d. concl. 9. Contrariam sententiam contra commu-
 nem defendit *Finckelth. disp. 7. th. 8.* cujus argumenta in discursu
 forte examinabimus, id modo hic præmittentes, capitale illud
 argumentum, quod scil. priori investito tum utile dominium tum
 Jus anterius quæsitum sit; posterius investitum nihil ferire, qui æ-
 que adeptus ut ille dominium, & actualem in super possessionem:
 adeoque Jus duplex, uno potentius nactus est. Quod si uterque
 investitus possessionem feudi sibi traditam probet, nec de priori-
 tate,

tate constet pro eo, qui primum investitus est, rectius præsumetur, Rosenth. d. feud. d. c. 7. concl. 12. De concessione Principis duobus successivè facta Vid. Gail. 2. obs. 55. & Mynsing. Cent. 3. Obs. 61. ubi tanquam singulare notant. Regulam dictæ l. quoties, non locum habere in Principe. deque investiturâ Principis aut Episcopi Vid. Judicium Nobilissim Hartm. Pistoris d. q. 29. n. 20 & seq. cui lubentes accedimus. Magis nim. verosimile esse, ait, Principem juris communis regulas sequi, quam iisdem derogare, & sic ex sola concessione, possessionem sine traditione minimè transferre voluisse, adeoque per cõsequens, feudo à principe concessio, eum, qui possessionem nactus est, præferendum esse illi, qui primò fuit investitus. Nisi ex verbis concessionis constet, Principem à juris communis Regulis recedere & possessionem sine traditione in primū concedentem transferre voluisse.

V. Porro dum in definitione Investituræ dictum est, eam esse solennem feudi cessionem, quæque, ut addunt alij, coram certis personis fiat, videndum est, in quibus solennia ista consistant; nimirum, tum in iis, quæ substantiam ejus concernunt, tum in iis, quæ accidentia respiciunt. Ad prius pertinet, ut & verbis feudum cedat vel concedat Dominus, sive dicat se investituram facere. c. un. 2. F. 2. & huic concessioni solennis testatio accedat, ex qua de voluntate Domini, verbis declarata, constare possit. Ad posterius pertinent pacta Investituræ adjecta ipsam informantia arg. l. 7. § 5. ff. de pact. de quibus infra. Testatio autem illa sive testificatio non solum testibus expeditur, uti plerique existimarunt, unicum hunc testationis modum admittentes; sed Instrumentis alternativè, quod probant perspicuè tot loca Juris feudalis, in quibus testium vel brevis testati, aut parium Curtis vel publici Instrumenti fit mentio in c. un. 1. F. 2. § 1. c. un. 1. F. 3. c. un. 1. F. 4. pr. & §. Item si Vasallus. 3. c. un. 2. F. 2. pr. & §. 2. c. un. 2. F. 32. ex cujus capituli verbis initialibus, in quibus pares Curia semper necessarios esse, nec breve testatum sufficere dicitur, malè dissentientes opinionè suam firmant, non attentis verbis subsequentibus ejusdem c. in quibus & breve testatum admittitur, quod ex usu quidem Mediolanensium, ab extraneis quoque testibus, de Jure, tantum à Paribus

R

si ad-

De Con-
cessione
feudi &
testatione

si adsint, confirmandum est. *c. un. 2. F. 2. §. 58. §. 2.* non in vim testimonii super actu Investituræ: sed in fidem & Autoritatem Instrumenti. *Vid. Bocer. de Invest. feud. c. 4. n. 73.* Et quanquam scriptura de substantia Investituræ non sit, hodie tamen nihil frequentius est, literis illis investiturarum *Lehenbrieffe* / tùm in feudo novo, tùm in veteris renovatione, testibus adhibitis, Consilariis, & Paribus præcipuè, si haberi possint. *c. un. 2. F. 58. §. 2. vers. ult.* aut, pro more in quibusdam locis recepto, sub Cancellarij solius & Secretarij subscriptione: quarum literarum tenor, utpote derogans Juri communi in primis attendendus & ex prima Investitura tanquam radice posteriores declarandæ sunt. Hinc receptissimæ illæ in literis investiturarum formulæ, & clausulæ. Dabey sind gewesen die Beste Hochgelahrte / Unsere liebe Getreue / N. Marschalch / N. Hoffmeister / N. Cansler / N. Secretarius, und andere mehr der unsern / genungsam glaubwürdige *Vid. Schneidw. in Epit. Feud. p. 4. n. 24. §. seqq. Duaren. de feud. c. 7. n. 10. Rosenth. de feud. c. 6. concl. 4. Vult. 1. de Feud. c. 7. n. 42.*

De testibus in investitura Novæ & veteri adhibendis

VI. In testibus Investituræ negotio adhibendis etiam duobus vel tribus. *c. un. 2. F. 2. §. 58. §. 1.* præter communia & in aliis quoque solennibus tractationibus necessaria requisita; puta, ut sint liberi non servici. *un. 2. F. 58. §. 1.* ut masculi sint non fœminæ. *c. un. 2. F. 32. in fin.* id speciatim in feudali hac testificatione requiritur, ut sint pares Curia, sive Compares domus Domini, (rationem nominis *Vid. ap. Duar. de feud. c. 7. n. 3.*) id est eiusdem Domini Vasallides Herren Manne / ut vocantur Saxonibus: *Lehn. c. 55.* & quidem in eodem territorio. *Myns. cent. 4. n. 89.* non extranei. *c. un. 2. F. 2. pr. c. un. 2. F. 32. 33.* & passim, ubi Parium tantum fit mentio. *c. un. 1. F. 2. 3. 4. in pr. §. 35. c. un. 1. F. 10. 11. 26. §. c.* cessante scilicet in Paribus, falsitatis & corruptionis suspicione. *c. un. 2. F. 58. §. 2. in fin.* adeò, ut si peregrè absint Pares, expectandi per tempus. *c. un. 2. F. 33.* Judicis arbitrio, cum nullibi expressum sit, definiendum *arg. l. 1. ff. de J. delib.* citandique sint, etiam sub multæ, alteriusque Judicij pœnalis indictione, si comparere nolint. *arg. l. un. ff. si quis Jus dic. non obtemp.* Extraneos autem, eosdemque tamen fide dignos tunc demum adhibere licebit, si vel non existent Pares. *c. un. 2.*

F. 2.

F. 2. vers. si autem c. un. 2. F. 33. c. un. 2. F. 58. §. 1. (de quo casu etiam accipiendus est Feudista in *c. un. 1. F. 26.* ibi: si tempore investitionis abfuerint pares, id est, si non extiterint, ne pugnet cum *d. c. un. 2. F. 33.*) vel legitimè impediti aut ex contumaciâ abfuerint *vid. Finckelth. disp. feud. 7. th. 14. lit. b.* vel si minus idonei sint, qui absentibus comparantur; vel sub pœna citati non compareant; vel si longis viarum intervallis absint. *Zabel. Exerc. feud. 4. th. 6. lit. b.* æquius enim erit hoc casu Domini rationem habere, ne Vasalli idonei accipiendi occasione, & servitorum conditione destituatur. Extra hos casus, non nisi Pares adhibebit Dominus, etiamsi Clericus sit, & de bonis propriis, in quibus æquiparatur Laico, feudum alteri constituere velit, de quo casu loquitur. *c. un. 2. F. 32. pr.* ut probat vocabulum, Dominus, in *d. c. 32.* quod res Clerici proprias præsupponit. Nam de bonis Ecclesiæ investituram facturus, extraneos quoque testes accipiet. *c. un. 1. F. 26. in fin. pr.* quem textum de bonis Ecclesiæ, in feudum concessis intelligendum esse, argumento est, quòd in *d. c. 26.* confratrum fiat mentio. Et in hanc dictorum *c. c.* conciliationem communis est consensus Feudistarum. Rationem diversitatis adducit *Bocer de investit. feud. c. 4. n. 65.* à comparatis, nimirum, quia si Clerici absque consensu cœterorum fratrum investire possunt, de bonis Ecclesiæ, Ergo, etiam absque Paribus curiæ: cum negotium Investituræ magis ad cœteros clericos pertineat, quorum interest, ut Ecclesia idoneum habeat Vasallum quam ad pares Curia. adde *Vult. 1. de feud. c. 7. n. 28. Hunn. Tract. feud. c. XI. pag. 280.* Cœterum sine Paribus facta Investitura minimè valet, inquit Feudista in *c. un. 2. F. 2.* etiamsi Dominus confiteatur factam *c. un. 2. F. 32. pr. Finckelth. d. disp. 7. th. 14. lit. b.* ne Jus publicum, quod hanc solennitatem præcisè induxit, privato Domini arbitrio immutetur; contra *l. 38. ff. de pact.* Quod si extraneus, omnium opinione pro Pari Curia habitus, Investituræ adfuerit, æquius veriusq; videtur, non invalidari actum; cum in testatione feudali major solennitas, quam in testamento ritè condendo, haud requiratur. Sicut à lege de ultimis voluntatibus, argumentum ducit Feudista in *c. un. 2. F. 58. §. 1.* testamentum autem solenne non infirmatur, licet servus adhibitus in testimoniū sit.

R 2

sit.

lit, qui omnium consensu liber existimabatur. §. 7. *Inst. de Testam. Ordin.* nec publica acta rescinduntur ab eo, qui idoneus reputabatur, cum non esset. *l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prat.* Dissidentium argumenta, quæ deducunt potissimum ex *l. 22. ff. de testam. tut. l. 24. §. 9. ff. de fideic. libert. §. 1. Inst. Qui testam. tut.* de servo, quem testator liberum putavit, frustra tutore dato: Explicata diversitatis ratione, à privati cujusdam & communi omnium opinione, in discursu facile diluemus. *Vid. Bocer. de Invest. feud. c. 4. n. 66.* Id deniq; addimus, quæ de Paribus Curia in testimonium Investituræ regulariter adhibendis dicta sunt hæctenus, in Investitura feudi novi tantum obtinere; In antiquo feudo, vel ejus renovatione, extraneos quoque, si idonei sint, admitti, tum textus expressus firmat in *c. un. 2. F. 32.* tum ratio, quòd Dominus successorem ad modum pristinae Investituræ confirmare teneatur, adeoque periculum corruptionis, de quo in *c. un. 2. F. 58.* ibi cesset. FF. communiter *Vid. de testibus hîc adhibendis in univ. Vult. 1. de feud. c. 7. n. 22. & seqq. Gothofr. Anton. disput. feud. 4. §. 6.*

De Personis Investituram facientibus, & accipientibus, & de Juramento fidelitatis in genere.

VII. Utrum ipse Dominus, vel alius pro eo investituram faciat, vel quis suscipiat, nihil interest; potest enim hoc negotium & per Procuratorè ab utraq; parte expediri, ait Feudista in *c. un. 2. F. 3. vers. sed utrum c. un. vers. Item Investitura. 2. F. 58.* dum tamen utrinq; speciale mandatum intercedat, aut saltem subsecutà rati habitatione defectus mandati suppleatur: quod fieri potest, etiam in iis actibus, qui speciale mandatum requirunt. *arg. l. quod si. 26 ff. de minor.* In feudis Regalibus majoribus speciale est, ut ab ipso Imperatore vel Rege Romanorum conferantur. A B. Carol. IV. tit. 5. unde per Procuratorem Investituræ hæc expediri non posse videtur. *Zabel. Exerc. feud. 4. th. 8. lit. a.* Verum, existimaverim potius, non prohiberi Imperatorem vel Regem Romanorum justè impeditum, quo minus ad Investituram de feudo Regali faciendam, alium delegare possit, sicut plura alia summa Majestatis Jura per delegatos exercet: adeoque verba illa Aureæ Bullæ, quibus investitura & collatio feudorum Regalium, *Sahnlehn/* (quod & ad Principum Ecclesiasticorum feuda *Scepterlehn/* rectè extenditur, *Limn. lib. 3. de J. Publ. c. 12. n. 78.*) soli Imperatori vel Regi Romanorum specialiter

aliter reservatur; excludere saltem potestatem investiendi, quam aliàs Vicarij Imperij generaliter habere videbantur, quamq; Papa Romanus insolenti ausu non semel sibi arrogavit. *Vid. Thom. Mich. de Jdict. l. 13.* non autem adimere supremis Principibus facultatem investiendi per Vicarium aut Plenipotentiarium, per quem ipsi investire videntur: Idque firmat expressus textus in Rec. Imp. de An. 1521. §. und sollen Wir / &c. ibi: alsdenn sollen und wollen Wir herauß Befehl thun/ an unser stat solche Regalien. (id est, feuda Principum, de quibus in præced. §. actum) Wie sich gebühret zu verleihen. Porro Investituram accipientes Juramentum fidelitatis præstant *Lehnspflicht*/ quam solennitatem substantialem constituunt quidam, propterea, quod in *c. un. 2. F. 3. in fin.* dicat Feudista, nullam investituram fieri debere ei, qui fidelitatem facere recusat: sed rectius, Juramentum fidelitatis saltem consequens esse, & quidem, si Dominus id urgeat, necessarium investituræ: unde Investituram præcedere debere, peculiari titulo definitum est in *c. un. 2. F. 4.* & investiturâ facta, fidelitas subsequi dicitur in *c. un. 2. F. 7. in fin.* idque secundum naturæ ordinem, quo beneficium feudî obligationem præcedit, quamvis declarare se ante Investituram vasallus possit, & debeat, se Juramentum fidelitatis præstiturum, *c. un. 2. F. 24. §. 2. F. 40. Finckelth. disp. 7. th. 22. l. b.* quod si ab initio id recuset, rectè dicitur Investituram fieri non debere in *d. c. un. 2. F. 3.* Est enim in arbitrio Domini, exigere illud, aut remittere, de quo in *Abert. seq.*

VIII. Præstandum autem est Juramentum fidelitatis ab omnibus feudum accipientibus, & quidem Clericis & Laicis. *c. nimis X. de Jurejur.* superioribus Domino & inferioribus. *c. 100. extrord.* foeminis & masculis: sive magnum sit feudum, sive modicum, *c. un. 2. F. 5. 6 7.* sive Regale sit, sive non regale. *A. B. d. tit. 5.* sive francum sit, sive non francum: *arg. c. un. 2. F. 48.* nisi aut ætas minor ad tempus excuset: *c. un. §. si minor 2. F. 26.* impetratis interim testimonialibus *Wuth Ze tel*/ aut fati infelicitas, puta furiosos. mente captos, aut Dominus Juramentum remittat, quod utique potest. *c. un. 2. F. 4. in fin.* cùm fidelitas quidem vel fides, de substantia feudi sit, ad quam etiam injuratus tenetur: Juramentum non

De Personis jurantibus, formâ & effectu Juramenti.

Item, sed volente Domino abesse possit *c. un. 2. F. 3. in fin.* Per Procuratorem quoque rectè præstatur Juramentum, cum speciali tamen mandato, in des Lehmannes Gewissen und Seele/ als demselbigen Gott helffe/ nisi, ut Vasallus ipse compareat & juret, justa de causâ, Dominus jubeat. *Vid. Rosentb. de feud. c. 6. concl. 37. Finckelth. d. disput. 7. tb. 21.* in Investitura Collegio vel Universitati factâ, Syndicus admittendus est, speciali mandato instructus. *Vult. d. c. 7. n. 35.* An verò ab omnibus heredibus Vasalli, nec non omnibus heredibus Domini præstandum sit Juramentum fidelitatis, Vid. prolixè apud *Hartm. Pist. lib. 2 q. 47. & Finckelth. disput. feud. 7. q. 17. & seq.* Illud affirmâtes, sive possideant feudû pro diviso sive pro indiviso. *c. un. 2. F. 55. S. firmiter v. ita ut omnes.* (Ita tamen ut si per unum è coheredibus cum speciali mandato juramentum generale præstare velint, audiendi sint) hoc negantes: uni tantum, quem ipsi elegerint, aut si dissentiant, quem Dominus superior constituerit, omnium nomine jurandum esse. *Vid. c. un. 2. F. 77. vers.* plures autem *c. un. 2. F. 102. c. un. 1. F. 22. c. un. 2. F. 40. & Lehnrecht/ c. 29* ex quo textu posterius illud deciditur. Das muß aber der oberste Herr entscheiden/ an welche ihr einê er sie weisen wolte. *H. Pist. d. quest. 47. n. 28. Finckelth. d. disput. 7. quest. 20.* Formula juramenti ex. *c. 5. 6. & 7. lib. 2. F. & Schneidw. Epit. feud. p. 5. n. 39. & seqq.* & cujusque loci consuetudine repetenda est. Effectus, ut juret Dominum adversus omnes, excepto Imperatore vel Rege *d. c. un. 2. F. 7. & antiquiore Domino. c. un. 2. F. 28. in fin.* patriâ quoque & seipso. *Vult. 1. de feud. c. 20. n. 26. & seqq.* Reductâ etiam ad necessariâ pietatis terminos, generalitate *d. c. un. 2. F. 28.* in quo nec pater excipi videtur, *Hunn. Tract. feud. c. XI. p. 288.* quanquam vocem illam abesse à Veteribus Exemplariis Cujacius notet *Vid. Rosentb. c. 8. concl. 14.* Id deniq; in materia Juramenti fidelitatis hic addimus. Dominum, non tene-ri vicissim fidelitatem jurare Vasallo; cû ab eo beneficiû non accipiat; Sed eidem conferat illud neque vulgatum illud *Fidelis Dominus fidelis vasallus. Getreuer Herr/ getreuer Knecht* / ad hanc fidelitatis reciprocè jurandâ necessitatem extendenda est. *Finckelth. disput. 7. tb. 23.*

IX. Investituram vel pure, vel in diem, vel sub conditione fieri posse dubium non est: Effectus idem est qui in contractibus ita celebratis. Vid. l. 213 ff. de V. S. §. 2. & seqq. Inst. de V. O. Condicio autem sit honesta & possibilis: quod nominis etiam sustinet Investitura vivente Vasallo in casum mortis ejus, de feudo tunc ad Dominum reversuro, facta; dicitur Investitura de caducitate successione *Gedinge / Expectantz oder Anwartsung / c. un. 2 F. 26. §. moribus*, adde, *c. un. 1. F. 7. §. 9. Const. Elect. Aug. 45 p. 2.* etiam absq; consensu Vasalli *d. c. 26. c. un. 2. F. 35.* etiam existentibus ejus filiis facta: tum condicio demum in casum deficientiæ operari possit (de quo casu non extantium filiorum tempore mortis loquitur *c. un. 1. F. 27. in fin.*) sicut & post talem Investituram natis filiis, evanescit illa; vires tamen recipit iis vivo parente extinctis. Vid. *H. Pist. lib. 2. q. 25. per tot.* Ex tali investitura heredes quoque Domini secularis, ad conferendum hoc feudum, tum ipsi Vasallo, tum ejus heredibus. *c. un. 1. F. 9.* etiam Jure Sax. non obstante illa Regula, *am Gedinge ist keine folge / Vid. d. Const. El. Aug. 45. p. 2. & H. Pist. d. q. 25 n. 3. & seqq.* obligantur; successores autem Ecclesiasticorum non item, nisi, consensu capituli facta fuerit, in *c. un. 1. F. 3. 9. d. c. un. 2. F. 29. §. moribus*. Vid. *H. Pist. l. 2. q. 26. & seqq. Vult. 1. de feud. c. 10. n. 13 & seqq. Confer.* quæ supra diximus *thes. 3. circa fin.* In successore Laico, dignitatis tantum aliud est, is enim ex facto prædecessoris sui non aliter obligatur quam Ecclesiasticus: Vid. *Hartm. Pistor. p. 2. quest. 20 n. 44.* ubi in præcedentibus Consilium integrum refert, Fratris, Modestini Pistoris, Ordinarii Lipsiensis adde *Moll. ad d. Const. Elect. 45. Berlich. p. 2. concl. 54 n. 29. & seqq. Rauchb. p. 2. q. 11. n. 70.*

X. Verus investitura vel à Domini successore, vel Vasallo successori fieri dicitur in *c. un. 2. F. 32.* adeoque eveniente vel in Domini vel Vasalli persona mutatione, unde Renovatio Investituræ convenientissimo vocabulo appellatur, Eaque contingente utroque casu, sub pœna amissionis, adversus quam nec celeris purgatio moræ, quicquam potest. *Finckelth. disp. f. 7. rh. 24. lit. C. nisi legitimum impedimentum excusationem præstet. c. un. 2. F. 24. 2. F. 40. & 55. pr. in fin.* petenda est *Der Lehn / wann sie zu Falle kômpt / gebührliche folge thun / & quidem reverenter loco & tempore idoneis, quod in*

nova

*De Investitu-
tura in ca-
sum mor-
tis Vasalla
facta.*

*De Renova-
tione
investitu-
ra, & quo
tempore
petatur.*

quidem investiturâ arbitrariû, in Veteri definitum est; ut fiat intra annum & diem; scilicet civiliter intellectum, ut & menssem contineat de Jure communi, & sex septimanas cum tribus diebus de Jure Sax. idq; ad modum Saxonica locutionis, *Jahr und Tag*/ita conciliamus textus feudales, tum annum & diem requirentes. *c. un. 2. F. 24 pr. 2. F. 40. pr. 2. F. 52. in fin. 2. F. 55 pr. in fin.* tum annum & menssem. *c. un. 1. F. 22.* Vid. *Heig p. 1. q. 16. n. 19. & seqq.* Quomodo alii, hunc quidem textum aut de Vasallo qui simul actu miles est, aut de æquitate accipiant: illos verò aut de Vasallo non militante, aut de Jure stricto: per quos abrogatum sit *d. c. 22.* in quo propterea pro *, menssem*, legendum sit, *diem*, ipsi passim videantur. *Hunn. Tract. feud. c. XI. p. 302.* Currit hoc tempus à die cognitæ mortis Domini aut Vasalli. *d. c. 24. & 40.* nec prorogari à Domino, nec minui Vasallo invito potest. *Vult. 1. de feud. c. 7. n. 62. & seqq.* Concludimus hanc petendæ renovationis materiam, Laudemium aliquod recognitionis nomine de bonis feudalibus Domino Solvendum non esse: cum de eo nec Jure feudali quicquam expressum sit, nec in Juramenti formula contineatur. Excipimus tamen, casum statuti vel consuetudinis localis aut pacti specialis. Ut & honorarium illud quod pro literis investituræ, in Cancellariam Principis exsolvitur. *Wenn man aus der Cankelen die Lehnbriefe lösen muß/und nicht dem Herren sondern der Cankelen etliche Gilden gibt/welche man auch pfeget Lehnwahr zu nennen: quæ verba apponit Schneidevvinus in Epit. feud. c. 5.*

n. 62 in fin.

QUÆSTIONES JURIS PUBLICI AD AUR.
BULLÆ TIT. XVI. XVII. & XVIII.

Pfalburgeri quinam?

Variæ Imperatorum Constitutiones, præter hanc nostram, de non recipiendis Pfalburgeris emanarunt. Caroli Magni velim intelligas, Friderici II, Heinrici ejusdem Filij, Sigismundi, quarum tenores, Arum. ad Aur. Bull. discurs. 6. th. II. Carpz, D. feud. 7. q. 4. Rumel. ad Aur. Bull. diss. 5. testibus, Goldast. const. Imp.

tom. 1 fol. 11. 79. 82. & 167. exhibet. E. re itaque quam maxime erit paucis exponere, quinam Pfalburgeri dicendi? ne tales foveamus, inque constitutam curramus poenam, puta, ne mulctemur centum marcis auri h. e. (Marca enim seu libra auri Ein Eöttich Markt estimatur pro 72. Aureis Rhenanis Rumel. d. l.) 7200. Aur. Rhen. partim fisco Imperiali partim Dominis illorum qui recepti fuerint, applicandis. Sane, cum diversas nominis notationes, nec non descriptiones à nonnullis Autoribus traditas perpendimus, & exinde rem interpretari operam navamus, diverse trahimur. Etenim Wehn. in observ. pract. verb. Pfalburger putat incolam, qui non est Civis, dici Pfabürger/ der zwischen seinen vier Pfälen sitzt/ cujus sententia & esse videtur Bocer. class. 3. D. 22. th. 16. Zach. Victor. Carpz. 1. all. referente, tract. de exempt, conclus. 20. Pfaburgeros dictos esse conjicit quasi subditos palantes id est, passim vagantes. Freherus suscipitur hoc nomine designari falsos Burgenses seu cives falsche Bürger Alijs Pfaburgeri sunt die zwen Bürger Recht erhalten in fraudem scilicet sui superioris ut ut sit. prædictas modo notationes & descriptiones ad Lydium revocare Lapidem non est nostri instituti, nec si esset, ingenij. Ipso titulo inspecto, lubet struere descriptionem, notationibus non attentis, quas tamen plerasq; textui esse convenientes non diffitemur. Exinde Pfaburgeri cives erunt, qui astute & dolose, salvo nihilominus manente prioris civitatis jure & immunitate, aliarum civitatum protectionem, jura ac privilegia impetrant, quo emolumenta harum percipere, oneribus vero omnium sese subtrahere valeant. Nolim hinc numerare inter Pfaburgeros qui corporaliter ad civitates, à quibus fuerint recepti, transeunt, larem sine fraude ibi fovent, debita subeunt onera Die leiblich und auffrichtig (verbis Imp. ut or) in eine Stadt ziehen/ und mit der That und Warheit ohne Betrug / in solchen ihren Sitz und Heerdt haben / auch die gewöhnliche Bürde/ als Dienste/ Stadtrecht/ Tribut/ Steuer / und andere dergleichen Auflagen in denselben über sich nehmen/ & prioris civitatis jura ac immunitates retinent nihilominus. Leges enim Imperij (civiles quod spectat minus adest dubij) haudquaquam violat, qui plurimis in locis, sine fraudulento tamen animo, jura civitatis assumit. Locos qui ejusdem principis in-

S

telligo

telligo. Nam si isti loci diversis Imperij statibus subiecti, ne causam varij litigij prestent emigrantes, neve in hanc impingant constitutionem, è re eorum erit à tali abstinere factò. Quod si sententia aliter nonnullis sederet, suaderem ut renunciarent juribus prioris civitatis. Id enim nostro in Imperio, Domino etiam reclamantè, subditis licitum, modo pro privilegiis tamdiu prestitis certam pecunie summam Domino territorij solvant, quæ Cæcis germanicè der Abzug/ Abschoss/ Dachstewer/ Abefahrt/ Ablösung/ dicitur, & vel tertia, vel quarta, vel decima pars est prout statuto vel consuetud. introductum, Aliter sese res habet in Anglia, Scotia, Dania, Regno Neapolitano; quibus in Provinciis Patricijs integrum non est, sine Principis venia regnis exire. Vid. Arum Rumel, Carpz. l. all. Jus Albinagij in Gallia num simile quid, vel per bonam saltem consequentiam importet? Aliis decidendum relinquo. Ad interim Dan. Ott. de j. P. cap. 19. pr. lit. b.

Quinam diffidatores?

In animum induximus quam brevisimis rem ab ovo repetere, & fortassis non lavabimus laterem. Diffidatio, die Absagung / ab antiquo Feida Behde / quod inimicitiam denotat, vel, si tibi magis arri-deret, à Gallico Vocabulo diffier ou deffier (nam & nostra tempestate loquendi formula in usu je vous deffie, ego te provoco) dicta, prisca & permessa erat etate. Preprimis vero tunc temporis, quo lites armis finire solebant nostrates, Da das Faust oder Kolbenrecht im Schwange gienge. Hæc justitiam quodammodo sapiebat, deficiente enim juris denegatione, deficiente itidem legitima inimicitie denunciatione, quæ ad minimum tres dies bellum precedere debebat, instar prædationis habebatur & in hostes captivos, tanquam in latrones, animadvertebatur. Hæc causa, quod referente Rumel ad Aur. Bull. tit. 17 à Genevensi Republica Anno 1603. tredecim Sabaudie Nobiles, qui scalis clam urbem ingressi & capti erant, ad patibulum damnati fuerint. Sic & hæc formula nil usitatus; Dieweil sie sich mit ihm nicht vertragen / so wolle er ihm abgesaget haben / jedoch in dreien Tagen einer besseren Antwort gewertig seyn / und mitter Zeit stille stehen. Et sane est,

est vindicta bonum vita jucundius ipsa secundum Satyricum In-
 ven. Saty. 13. annon igitur justum erit deficiente juris civilis actione,
 instituere actionem juris gentium, qualis diffidatio? ita sentiebant.
 Unde tot diffidationum exempla, quae Mindan. lib. 1. de process cap. 25.
 n. 4. annotavit. Verum quia diffidator erat, & adhuc est, ejusmodi per-
 sona, quae bellum nec non persecutionem extremam, ad bona, vitam,
 corpus & Sanguinem denunciat, nec emg, intentat, ideo rectissime Im-
 peratores publica quibus tranquillitas magis cordi quam privata
 ultio, posterioribus constituit, quas Rumel. all. l. th. 4. refert fundi-
 tus diffidationes extirparunt. Loco omnium lubet allegare Maxim. 1. in
 comit. Worm. de Anno 1495. Sub rubr. Der Königliche Landfriede:
 Darauff haben wir alle offene Behde durch dz ganze Reich abgethät/
 heben auch die hiermit auff/ und thun die ab von Römischer Königli-
 cher Macht/ und mit Krafft dieses Brieffes. Hanc nec non simi-
 les qui jam violat, & pacem frangit publicam, & delictum poenā ca-
 pitis luit. Quā & poenā digni, qui literas publicis affixis incendium ali-
 cui minantur daß sie eiten rother Jahn eurent wollen auff's Haus
 setzen. Multorum enim agitur res paries cum proximus ardet. Ejus-
 dem & farinae sunt qui literas concipiunt nec non scribunt diffidatori-
 as R. A. Zu Regensburg de Anno 1594. §. Dergleichen und dieweil
 präprimis si operam praestiterint cooperativam diffidatori, quanquam
 de jur. Sax. operā cooperativā haud praestita, mitior eos manet poenā
 per Const. Elect. August. 14. p. 4. Lenius agendum cum iis qui minan-
 tur saltem. Ich wil mich an dir rechnen/ quid enim si justam intellige-
 rent vindictam? ich wil dir's gedencken/ ich wil das Eisen/ ich wil
 Kugeln mit dir wechseln/ ich wil ihn durchschießen. Mine enim sunt,
 quae non ad totam universitatem vel communitatem, ut diffidationes,
 sed ad unum aliquem privatum pertinent. Carcere hi detinendi, donec
 vel fidejussoribus vel pignoribus sufficientem praestiterint cautionem,
 de non offendendo, neq, per se neq, per alium. Dandus quoq, est poeni-
 tentiae locus. Si enim diffidator, antequam quid damni dederit poeni-
 tentiā ductus, literas revocaverit diffidatorias, eum ut diffidatorem
 puniendum non censemus. Est quidem regula, non mitior lege; adstat
 tamen

tamen altera, pronior ad lenitatem. Plura si desideras adi Rumel.
Arum. Mindan. lo. all. Wehn. observ. pract. verb. befehden. Carpz.
D. feud. 7. q. 5 pract. crim. part. 1. q. 37. & ad. all. const. Elect. per
tot.

Cur certa intimationis Formula hic præscripta?

Ne legenti nauseam paream, paucis me expediam. Olim inti-
mationis forma Moguntini arbitrio erat relicta. Nam alia, & diversa
ab hac nostra, extat apud Rumel. l. all. th. 12. à Gebbaro Archiepisco-
po Moguntino ad Wenceslaum Bohemias Regem data. Hodie, ut o-
mnis litigij aditus Eridi præcluderetur, nec discordie quadam occasio
oriretur, quasi inter Electores alter præ altero magni aut parvi à Mo-
guntino estimetur, certa præscripta, quæ æquabiliter in omnium Ele-
ctorum convocatione à Moguntino observanda. Hæc causa hujus inti-
mationis formæ præscriptæ impulsiva. Sic hasta scutoq, laboravit Cæ-
rol. noster IV. ut concordata Electorum fraterna conservaret, ho-
rumve unionem vinculo constringeret æqualitatis. Ita &
Dd. Jurispubl. qui mihi cogniti, una-
nimiter.

Tantum!




ULB Halle
006 302 114

3



VD 17







2137.

2. D. B. V.
COLLEGI FEUDALIS
EXERCITATIONEM,

825

29
30 37

1658

9

10

De
ACQUISITIONE FEUDI
Per
INVESTITURAM

Cum

Annexâ Quæstionum Ipubl Trigâ

Autoritate Magnifici Jctorum in illustri hac
Leucoreâ Ordinis,

PRÆSIDE VIRO

Nobili, Amplissimo, Excellentissimoq̃

DN. GOTTFRIDO SUEVO, JCTO

& Antecessore Famigeratissimo, Curia Electoralis Sca-
binatus, Facultatis Juridicæ, Consistorii Ecclesiastici, ut & Judiciâ
Provinc. Inferioris Lusatia Assessore gravissimo,
meritissimo,

*Dn. Præceptore, ac hospite suo, perpetim
colendo*

publicæ placidæq̃ discussioni subjicit

HENRICUS CENTURIUS, AB ENDE

EQUES MISNICUS.

In Auditorio Jctorum.

Ad D. 20. Janhor. 3. pomerid.

WITTEBERGÆ,

Literis JOHANNIS HAKEN. 1658.